Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



et ego ero cum eo in pace firmabo quoque solium regni eius super israel in eternum.
Nunc igitur fili mi sit dominus tecum et prosperare et edifica domum domino dei tui sicut locutus est de te. Det quoque tibi dominus prudentiam et sensum ut regere possis israel et custodire legem domini dei tui. Tunc enim prosperabis si custodieris mandata et iudicia quae praecepit dominus moysi ut doceret israel. Confortare et viriliter age nec timeas neque pavescas. ecce ego in paupertate mea paravi impensas domui domini auri talenta centum milia et argenti mille milia talentorum. Aeris vero et ferri non est pondus. Immensum enim nimis magnitudine. Ligna et lapides paravi ad omnis impensa. Habes quoque quam plurimos artifices lathomos et cementarios artifices quoque lignorum et omnium artium ad faciendum opus. Prudentissimis in auro et argento et aere et ferro cui non est numerus. Surge igitur et fac et erit dominus tecum. Dedit quoque david cunctis principibus israel ut adiuvarent salomonem filium suum. Certum quia quidquid dominus deus vester novissimum sit et dederit vobis requiem pacificum et tradiderit omnes inimicos vestros in manu vestra et subiecta sit terra coram domino et coram populo eius. Dedite igitur corda vestra et animas vestras ut quaeratis dominum dominum vestrum et surgite et edificate altare domino deo vestro ut introducatur archa foederis domini et vasa domino consecrata in domum quae edificatur nomini domini. XXIII.

Senex autem david senex et plenus dierum regem constituit salomonem filium suum super israel et congregavit omnes principes israel et sacerdotes atque levitas. Viginti quinque milia levitarum a vigintiquinque annis et supra inventi sunt trecenti

viginti milia virorum ex his electi sunt et distributi in ministerium domus domini viginti milia. Porro iudices aut et iudicium sex milia. Porro viginti milia ianitores et totidem psallere canentes domino organis quae fecerat dauid ad canendum. et distribuit eos david per turmas filiorum leui. Gerson videlicet et caath et merari. et gerson. leedan et semei. Filii leedan princeps iehiel et zetham et ioel tres. Filii semei. salomith et oziel et haran tres. Isti principes familiarum leedan. Porro filii semei. leeth et ziza et iaus et baria. Isti filii semei quattuor. Erat autem leeth prior et ziza secundus. Porro iaus et baria non habuerunt plures filios et idcirco in una familia unaque domo reputati sunt. Filii caath amram et ysaar hebron et oziel. Filii amram aaron et moyses. Segregatusque est aaron ut ministraret in sancta sanctorum et adoleret incensum domino sedulo ritum suum ac benedicere nomini eius in perpetuum. Moysi quoque hominis dei filii annumerati sunt in tribu leui. Filii moysi gerson et eliezer. Filii gerson subuhel primus. Fuit autem filii eliezer roboam primus et non erant eliezer filii alii. Porro filii roboam multiplicati sunt nimis. Filii ysaar salomith primus. Filii hebron tarialiu primus amarias secundus iaziel tertius iecmaham quartus. Filii oziel michea primus iesia secundus. Filii merari mooli et musi. Filii mooli eleazar et cis. Mortuus est autem eleazar et non habuit filios sed filias. accepiuntque eas filii cis fratres earum filii musi mooli et heder et ierimuth. Tres hii filii leui in agnationibus familiis suis principes patrum et numeratis singulorum qui faciebant opera ministerii domus domini.